



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 230. Similiter & Summi Sacerdotes illudentes, ad alterum cum Scribis  
dicebant. v. 31.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

de ascensu de cruce, sed ascensu de sepulchro se filium Dei debebat ostendere. Si adhuc generatio prava & adultera signum quærit, non dabitur ei signum nisi Ionæ Prophetæ. Bene igitur S. Leo eos sic alloquitur De quo erroris fonte Iudæi talia blasphemiarum venena potastis? quis vobis magister tradidit? qua doctrina persuasit? illum Regem Israel credere aut filium Dei, qui se crucifigi non sine pheret, aut à confixione liberū corpus excuteret? non hoc vobis legis testimonia aut proptarum ora cecinerunt. Non legistis sane: Dominus descendit de cruce, sed Dominus regnavit à lingno. Hæc S. Leo: addit S. Hieronym. Quid plus est de cruce adhuc viuentem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit & non credidistis, & si descenderet non crederetis: vere non credidissent tunc, qui nec hodie credere volunt te verum Dei filium, omnipotentem, Messiam missum à patre ad tolerandum totum genus humanum à vinculis diaboli & potestate, vixi tot mirabilibus.

**N**E igitur descendas, bone Iesu, de cruce, sed potius preces cordis tui sursum tendant pro nobis ad patrem: Innocens hic sanguis tuus conciliet nobis patrem, & de cruce interpellet pro nobis: atque demum etiam ipse ascende post mortem tuam patrem in cælum.

§. 230. *Similiter & Summi Sacerdotes illudentes, ad alterum cum Scribis dicebant. v. 31.*

Videntur hi Sacerdotes & Scribæ satis obtusi ingenij fuisse, qui illudenti formulas ab ipsa plebe accipientes imitati sunt, satis magno stupore, qui in plebe ignorante scripturas poterat tolerari. Idem est hodie genus Ministrorum verbis: hi à plebecula quæ audiunt contra Catholicos Romanamque Ecclesiam dici ut gemmas colligunt & in libros suos infarciunt, Misera cerebella, sed uti isti toleranda, donec Deus exerat iudicium & vel de malis faciat bonos, vel malos male perdat.

**O**Mnipotens misericors benigne Deus ac Pater te humiliter per hunc principum, Sacerdotum & Scribarum in lege & populi errorem, & tui vilipensionē, oramus ut eos & omnes qui ab orthodoxa Catholica & veritate recesserunt, aut alioquin in articulis, quibusdā hallucinantur, errant, & falsa persuasione seducti sunt, paterne visites numinis tui radijs corda ipsorum illustres, ipsosque reuoces ac reducas ad erroris sui agnitionem ut sic conuersi, vnicam, veram Catholicam & Christianam fidem, cum vniuersa Ecclesia & Communione ad ipsorum salutem perpetuo retineant, ore profiteantur, & factis ipsis demonstrent, ut te vnum Redemptorem & Pastorem vnanimis in vno ouili audiamus & sequamur.

X 2

§. 231.